



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

18. Dies Novembris. Ipse erit bonum tuum, à quo tu in tuo genere factus es bonus, & Omnia in suo genere facta sunt bona. S. Augustinus in Psal. 102.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

panis, si voluntas fuerit bona, vestire eum sufficit filo, si  
charitas fuerit ardens: potare eum potest stilla, si affectus  
fuerit rectus. Quid minus micâ, filo, stillâ? Da Christo  
minima, ut accipias maxima, da cito, ne accipias cito.

*Dandi tolle moras, cito dando, munus honoras.*

### 18. DIES NOVEMBRIS.

Ipse erit bonum tuum, à quo tu in tuo genere factus  
es bonus, & Omnia in suo genere facta sunt bo-  
na. *S. Augustinus in Psal. 102.*

Dei bo- I.  
nitas.

**Q**uid hic volo agere de Dei bo-  
nitate, quæ nec potest scribi,  
nec dici, nec concipi: si omnes  
spiritus qui sunt vel sunt  
in Cælo, vel deorsum in orco, omnesque in terra  
animæ creaturæ, creandæ, & quæ possunt creatæ,  
ea scribere vellent, si singulis atramentum esset oce-  
nus, ac membrana cælum, priusquam minimam  
partem describerent, oceanus totus exsiccaretur, &  
cæli nec unum apicem, aut jota amplius capere pos-  
sent. Si cunctæ stellæ, & imbrum guttæ, totidem  
forent linguæ, antequam aliquid de ea pro dignitate  
possent eloqui, destituerentur spiritu & obmutescer-  
ent: si omnes arenulæ maris, in mentes mutarentur,  
non possent particulam ejus dignè concipere, nisi  
ut doctè S. Gregorius Nazianzenus. (a) *Certe hoc est  
Deus, quod cum dicitur, non potest dici, cum asseritur,  
non potest asseri, cum definitur, ipsa definitio  
crescit, quem omnia nesciunt, & metuendo faciunt. Non  
dissimiliter Arnobius, Deus, ut intelligatur tacendū est,  
atque per umbrâ possit illum errans investigare suffragis.*

(a) *Orat. 49. de Fide. (b) li. adu. Gent.*



*nihil omnino est metuumdum. Non est mirum, si ignoratur, majoris admirationis est, si sciatur. Eloquar sicut sentio, magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit: qui non vult minuere, non novit.*

II. Quid volo igitur comparare eum, qui in omnibus est incomparabilis? nonne qui vellet exaggerare hyperbolicè Sapientiam Salomonis nugivendus haberetur, si hæc, aut his similia diceret? Tanta est Sapientia Salomonis, ut nec eam mancus possit scribere, nec mutus dicere, nec stultus concipere? Si hæc commendatio esset potius irrisio, aut vilipensio: minus sunt ad rem illæ comparationes, respectu Divinæ bonitatis, ad quam describendam, enarrandam, concipiendam, omnis in cælo & in terris, creatura, est muta, amens. Illa est Divinæ bonitatis maxima laus, à nemine posse ut par est, laudari, nec amari. Licet omnia folia arborum, & herbarum, stellæ cæli, & arenæ maris, & atomi solis, essent corda, imò essent ardentissimorum Seraphinorum voluntates, imò et si omnes illæ, & cunctæ reliquæ creaturæ, quæ conditæ à Deo possent, essent singulæ Seraphinorum Hierarchia, cujus amor in singulis instantibus duplicando semper multiplicaretur, per totam æternitatem, nihil esset cunctorum amor, ut vel in minimo satisfaceret Bonitati Divinæ, imò esset potius tantus amor frigus, quàm calor. Nec dico, quod tantus amor, qui propè videtur immensus, ad Dei Bonitatem congruè amandam, sufficeret, verùm nec ob solam patientiam, quâ te Deus suffert, non modò peccantem graviter, sed remisè, & cum defectibus amantem tantum bonum. Nonne igitur posses Deum iisdem verbis alloqui, quibus olim Philippus



Nerius: *Deus, cum sis tam amabilis, & ut praecipue  
ris nos amare te, cur dedisti nobis tantum unicum creaturam  
adhuc tam parvum?*

III. Sed tamen hoc mihi saltem est solatium, quod  
licet non satis ameris, non etiam satis, nisi à te amari  
possis. Accipe Domine pro parte mea vilem stipulam  
amoris saltem in votis. Amorem omnium creaturaru-  
rum, etiam possibilium collectum, tibi offero. Ego  
ipse solus universorum amorem, quem omnes pro  
totam aeternitatem habituri sunt, vellem habere in  
gulis momentis. Parce Domine, nec injuria verba  
hæc mea pusilla vota, & desideria, sed ea excusa  
coram te infirmitas mea, & magnitudo tua. Accipe  
hoc gaudium meum, quod dignè nequit dari, nisi  
te dignus: accipe & cruciatum meum, quod debet  
non omnia te amare. Doleo tot animas sponsas tuas,  
per fidei arrhas, tot alia hominum corda idonea ad  
diligendum te ardentissimè, qui Reges mundi, co-  
loque sublimiores esse possent, oblitos tui, immo  
memores sui, jacere in fimo suo, & cum jumentis  
computrescere in stercore, & perire diligendo  
se, & hæc caduca, ac horribilia bona terræ, & non  
ô pulchritudo rerum, & amor universi! Percepit  
Dei bonitatem B. Catharina Genuens, cum  
hæc diceret: Cognitissimum mihi est, quod quando  
amor purus vel minimam Dei cognitionem videt,  
si Deus non averteret cogitationem, in pulverem re-  
digeretur, non corpus modò, sed anima, nihil  
immortalis. At quis ita perspectam habet Dei Boni-  
tatem? sed quem potest illa summa Bonitas fugere,  
cum in ejus semper incurrat vestigia? quia cum om-  
nia quæ condidit, sint bona, ab ejus id hauserant boni-  
tate.



Novemb.

Tessera.

923

itate. Sit pro clausula, illa divina D. Augustini sententia, (a) *Pudeat cum alia non amentur, nisi qui bona sunt, eis inhaerendo, non amare bonum ipsum unde bona sunt.*

### 19. DIES NOVEMB.

Væ tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius, quam est ille, à quo omne pulchrū. *S. Aug. in ps. 43.*

Pulchri. I.  
tudo Dei.

**M**agna ad amorem est illecebra, formosi vultus elegantia; trahit ad se oculos, rapit animos, totum occupat

in sui contemplatione hominem. Hinc quidam adducti sunt, non modò ad amorem cordis, sed furorem mentis. Sed quid est omnis pulchritudo creata, ad increatam, nisi quod est nihil ad omnia? Finge pulchritudinem unius Angeli toties majorem quot sunt atomi in aëre, & singulos Angelos eadem pulchritudine præditos; & cum sint millia millium, seu penè non sit numerus eorum, totâ hanc pulchritudinem congloba in unam solam: turpis & deformis esset præ pulchritudine Dei. O cor meum, quomodo non te evellis post tantum decorè, & ardes ad

immensam illam lucem? verè dixit Nazianzenus: (b) *Deus est pulchritudo omnis est, est super omnem pulchritudinem.* Hanc incomparabilem pulchritudinem, ut saltem quasi per umbram intelligatis, conducet acerrima mentis acie contemplari pulchritudinem, quam animæ confert gratia Dei. De ea sic D. Augustinus:

(c) *Naturam humanam in rebus creatis excellentissimam, cum à suo creatore ab impietate sanctificatur,*

à de-

(a) *L. 8. de Trin. c. 3. (b) Orat. 1. (c) l. 15. de Trin. c. 8.*